

DISSERTATIO ACADEMICA
DE

EUNUCHISMO
ORIGENIS ADA-
MANTII,
PRÆSIDE,

VIRO

SUMME REVERENDO & MAGNIFICO

DN. JOH. HENRICO MAJ

S. Theol. Doct. ejusdemque & LL. Orie

PROFESS. Districtus Alsfeldensis & Marpurgensis

PERINTENDENTE, Consistorii ASSESSORE,

Stipendiatorum EPHORO & PÆDA-

GOGIARCHA,

Domino Patrono, Hospite, atque in Christo P-
plusquam filiali obsequio devenerando,

Publico examini d. XXIX. Junii,

Exponetur ab Autore

M. PETRO ZORNIO, *Hamburger*
SS. Theologiæ Licentiando.

GISSÆ HASSORUM,

Typis HENNINGI MULLERI, An. MDCCVIII.

Biogr. erud.

D. 1638, 22

VIRIS

Magnificis, ac Summè Reverendis,

DN. JOHANNI CHRISTOPHORO
BIELEFELDIO,

SS. Theol. Doctori, ejusdemque Professori Primario, & h.t.
Decano, Consistorii Giess. Assessori, Superintendenti ac Con-
siliario in sacris primo,

DN. JOH. HENRICO MAJO,

SS. Theol. D. ejusdemque & LL. Orientalium Profess. Ordin.
Consist. Assessori, Superintend. districtus Alsfeldensis & Marpurgensis,
Stipendiator. Ephoro, & Pædagogiarchæ.

DN. JOH. BARTHOLOMÆO
RÜDIGERO,


SS. Theol. D. ejusdemque Prof. Ordin. & V.D. Ministro,
Patrum Patribus.

Sidonius Qui † instruunt ut HIERONYMI, destruunt ut LACTANTII,
IV. Ep. 3. Astruunt ut AUGUSTINI, attolluntur ut HILARII
Summittuntur ut JOHANNES, ut BASILII corripunt
Ut GREGORII consolantur, ut OROSII affluunt
Ut RUFFINI stringuntur, ut EUSEBII narrant,
Ut EUCHERII sollicitant, ut PAULINI provocant,
ut AMBROSII perseverant.

*Hunc Origenem defensum, ut substantiâ auctoritate tutus sit,
contra seculi venena & contagia, Pallorem ac Livorem*

Humillimè consecrat

A U T O R.



§. I.



Um multi doctrinam Origenis, perpauci mo-
res ejusdem vitamque defenderint, operæ pretium
fore putavi, si *Eunuchismum*, qui vitæ Origenis ma-
gnam aspergit maculam, in dubium vocarem, diluen-
do, quæ confertim & conglobatim objiciuntur.
Quod si æternâ in laude versentur, qui cum Dn.
Schmidio Theologo Helmstädiensi Celeberrimo de fabulis priorum se-
culorum in *Hist. Eccles.* aliquid memoriæ produnt, mihi saltem vitio
verti haud poterit, si egomet veritatis diligens, jam modestè inquiram,
donec ad liquidum veritas explorata sit: præsertim, cum in mentem
venit, Celeberr. *Spanhemium* (1.) pari studio reperiendi veri, fabellam
exfecti *Photii Patriarchæ C. Politani à Leone Alatio* (2.) & *Melchiore In-*
shofero (3.) festivè actam, meritò abjecisse. Supervacanea quidem vi-
sa fuisset industria, si omnes, qui *Eunuchismum* memoriæ produnt,
verecundè dubitanterque id fecissent cum *Jacobo Capello* in *Observatio-*
nib. ad N.T. p. 29. dicente: & *Valesii* quidem discipulos suos castrabant
etiam invitos: *Origenes autem semetipsum castrasse* DICITUR: at, quo-
niam multi, quod non satis exploratè conceptum & cognitum est, sine
ulla dubitatione defendunt, rem omnem nunc in controversiam dedu-
cam, & tot difficultatibus vulgarem opinionem obstruam, ut *οἱ ἐξ ἐναν-*
τίας sibi crucem scriptam videant. Interim industriis felicioribus &
ingeniis *σοφιστικῶς* conjecturas liberas, quibus pariter dissentien-
tium ampullæ foliis farfari leviores dispelli poterunt, nullo modo
præripiam.

§. II.

Quoniam autem confusa tractatio argumentorum apud dissen-
tientes non tantum mihi negotium faceffit, cui perpetuo distinguendi
necessitas incumbit, sed & lectori, qui sibi fucum fieri nolit, nimiam
A foli-

(1) In libello de *Iohanna Papissa*. (2) lib. I. c. VI. p. 561. de *Eccles. Orient. &*
Occid. perpetua consensione. (3) in dissert. de *Eunuchismo*, quæ inter
σύμμικτα Leonis *Alatii* p. 395. occurrit.

folicitudinem creat, compositius quam festinantius rem exponam, non perturbato ordine.

I. *Argumentum* de lite hac olim per Medicos dirimenda satis speciosum videtur dissentientibus, mihi secus. Nam licet nunc dierum Medicorum opera in quæstione tali de Eunuchismo locum habeat, dispar tamen ratio fuit Veteris Ecclesiæ, in qua diligens circumspector cum emissitiis oculis tale nihil invenire poterit. Tantum castitatis studium fuit pristinis temporibus, ut Monacho, si puritatis amantior esset, proprii corporis nuditatem in locò ab aspectu hominum remotiori, aspiciere non liceret: ut præteream alias castitatis cautelas, quas videre est in Codice regularum (4.) (quas S. Patres Monachis & Virginitibus sanctimonialibus servandas præscripserunt,) collecto olim à *S. Benedicto Anianensi Abbate*, tandemque edito à *Luca Holstenio*, ut & in Codicis regularum appendice, in qua S. S. Patrum sunt exhortationes ad Monachos ac Virgines de observantia vitæ religiosæ collectæ olim à *S. Benedicto* antea laudato, editæque ab eodem *Holstenio* in *Claudio de Chantelou* Bibliotheca Patrum Ascetica, sive selectis Veterum Patrum de Christiana & religiosa perfectione opusculis. Neque fortè oleum operamque perdet, qui perlegerit trium Patrum *Ambrosii, Hieronymi & Augustini* opuscula de virginibus & virginitate, edita à *Paulo Manutio Aldi* filio. (5) Num autem consultum fuisset, corporis nuditatem ostendere, atque ita Canonicam regulam transilire? Minimè gentium. Observent dissentientes, quos latet Vet. Ecclesiæ Oeconomia, sobriè argumentandum esse, ne & suis & alienis oculis nebulam obtendant. Imò verò quocunque modò responsiones suas efformabunt, elabi non poterunt, si litem mox commemorandam accuratè rimentur. Nimirum cum *Syagrius Episcopus Veronensis*, Virginem Sacram, quæ in crimen violatæ virginitatis vocabatur, obstetrici inspiciendam dedisset more hodiè frequenti, *S. Ambrosius* Epist. V. & sequenti, iudicium ejusmodi, quia Canonibus adversabatur, maximè improbat: præsertim quod obrectatores essent incertæ imò nullius fidei, quod virgines sacra tali scrutinio, quod summa cum turpitudine conjunctum erat, nullo tempore subjectæ legerentur, aliaque veritatem manifestandi media adhiberi potuissent.

II. Ar-

(4) Opus hic est *Hugonis Menardi* Benedictini Concordia regularum. (5) vide *Dn. D. Ittigium* de Bibliothecis Patrum p. 656.

II. Argumentum depromit *Dupinius* ex silentio *Eusebii Caesariensis*. Nempè is alioquin Origenem tutatus, de illo facto ità loquitur, ut appareat hujus dispudere. Fatetur lib. VI. H. E. cap. II. X. quod Origenes verba *Matthaei*, quæ infrà adducam, ἀπ' ἀγέρων ἢ νεανικώτερον acceperit. Regeret quis cùm *Natali Alexandro*, Eusebium Origenis factum prolixè haud protegere, quod sacerdoti Eunuchis minus rectè infligi poenam Canonicam crediderit. Enimverò hoc ego effatum tam falsum esse affirmo, quàm quod falsissimum. Non tantùm in Conciliis post Origenem *Nicano* can. I. & *Arelatensi* can. VII. sed & in aliquot Conciliis ante eundem, ex *Canonum Apostolicorum* sanctione, Presbyterii gradu talis Clericus abdicabatur. Mens prælagit, dissentientes objecturos, quod ego Canones Apostolicos, in quibus assumenta stellionum à genuinis facillè & apertè secernere non licet, obtrudens, turpiter imponam. Verùm hoc tantùm volo, si non ab Apostolis ipsis, saltem à viris Apostolicis contrà Eunuchismum illum, Canones quosdam sancitos esse. Nam *Apostolicos* quos voco *Canones*, nihil aliud fuisse existimo, quàm statuta quædam sive decreta Synodorum, quæ per tria priora æræ Christianæ secula diversis temporibus locisque habitæ fuerunt. Quæ sententia eò probabilior redditur, quod pro comperto habeam, nonnulla eorum, quæ in dictis Canonibus continentur, à primitivis istis Synodis constituta fuisse (6) Quod ut palam fiat, unam tantùm hanc partem percurram. Primus *Synodi Nicane* Canon de Eunuchis agit, statuitque, eos, qui à medicis in morbo excisi vel à barbaris exsecti sunt, in clero retinendos esse, eos autem, qui cùm sani essent, seipsosexsecuerunt, etiamsi in clero recensiti fuerant, cessare debere, & nullum deinceps talem promovendum esse, juxta quæ in Canonibus Apostolicis XXII. seq. constituta sunt. Et postea addit Synodus: quemadmodum autem hoc manifestum est, quod de iis, qui de industria hoc agunt, & seipsosexscindere, dictum est, ἕως ἔτινες ὑπὸ βαρβάρων ἢ δεσποτῶν εὐνεχίθησαν, εὐείσκοινο δὲ ἄλλως ἄξιοι, τὸς τοιούτους εἰς κλήρον προσιέται ὁ κανὼν. Ità si aliqui à barbaris, vel dominis castrati sunt, inveniuntur autem aliqui digni, tales in clerum admittit Canon. Hinc clarissime patet, Canonem aliquem in Ecclesia tunc temporis

A 2

obti-

(6) Post *Gabrielem Albassinaum* lib. I. Observat. c. 13. egregiè id ostendit *Guil. Boveregius* lib. I. c. IV. Codicis Canonum Ecclesiæ primitivæ vindicati & illustrati.

obtinuisse, quo tales in clerum admissi sunt, qui quidem alius non fuit, quam Apostolicus XXI. sic habens: ΕυνῆχⓄ εἰμὲν ἐξ ἐπιηρείας ἀνθρώπων ἐγένετό τις, ἢ ἐν διωγμῷ ἀφῆρέθη τὰ τῶν ἀνδρῶν, ἢ ἕτως ἔφυ, οὗ ἐστὶν ἄξιⓄ, ἘπίσκοπⓄ γινέσθω: Eunuchus si quis ex hominum quidem injuria factus est, vel in persecutione virilibus privatus, vel sic natus est, ὁ dignus est, Episcopus fiat. Si talis autem, per hunc canonem Episcopus fiat, in clerum necessario admittatur, quod ibi decretum esse Synodus Nicæna indicat. Cæterum opponunt se *Math. Larroquanus* (7) & *Dallæus* de Pseudepigr. Apost. lib. III. c. 8. (8.) quorum posterior contra antiquitatem horum Canonum à *S. Athanasio* (9) disputat de *Leontio* primulum Presbytero, mox & Episcopo Antiocheno Arianarum partium verba faciente, ejusque Origenico uti vulgò creditur simile facinus invidiosissimè exagitante, nullam tamen, ut is ait, memorante Apostolicam contra istum legem, sed hæc tantum habente: ΛεόντιⓄ ὁ ἈπόκοπⓄ, ὃν ἔδὲ ὡς λαϊκὸν κοινωνεῖν ἐχρεῖα, διότι ἑαυτὸν ἀπέκοψεν, ὑπὲρ τῆς μετ' ἐξουσίας λοιπὸν κοιμᾶσθαι μετὰ Εὐσολίς τινός, γυναικὸς μὲν δὲ αὐτὸν λεγομένης δὲ παρθένου: *Leontius* ille castratus, quem ne sub laici quidem specie ad communionem admitti oportuit, eo quod seipsum abscidit, ut liberè cum *Eustolio* quâdam dormiret, reverà quidem ejus muliere, virgine autem dicta (10) Ex his verbis *Dallæus*, inquit, nemo non videt, multò fortius & invidiosius dicturum fuisse *Athanasium*, si ex Apostolico Canone, hanc *Leontio* sui facinoris mercedem deberi adjecisset: quod non adjecit, eo fateatur, nullum sibi eâ de re Apostolorum Canonem cognitum fuisse. Verùm fallitur *Dallæus*. Nam, cum *S. Athanasius* *Leontium* nec ut Laicum ad communionem admitti debuisse affirmet, & de nulla alia Ecclesiastica pœnâ debitâ loquatur, respicit omninò ad Apostolicum XXIV. Λαϊκὸς ἑαυτὸν ἀκρωτηριάσας ἀφορρίζεσθω ἕτη τετρία. ἐπιβελⓄ γὰρ ἐστὶν τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς: qui seipsum mutilavit, tribus annis segregetur: est enim sui ipsius vitæ insidiator. Qui segregatur autem, nec ut Laicus ad communionem admitti potest: ex cu-

jus

- (7) Ut anonymus edidit *Observationes ad Beveregii annotationes in Canones Apost.* (8) Meritò dicitur *Ioh. Fello* in *Notis ad S. Clementis Rom. Epist.* plagosus SS. Patrum orbilius; quod in posteram, si Deus valetudinem quietemque dederit, in stricturis ad *Dallæi* librum de usu & abusu Patrum Juculenter satis ostendam. (9) in *Epist. ad solitat. vitam agentes* T. I. p. 827. (10) confet *Beveregium* lib. II. Cod. Canon. vindicati c. IV.

jus propterea Canonis præscripto *S. Athanasius* verissimè asseruit, quod *Leontium* ἔδδὲ ὡς Λαϊκὸν κοινωνεῖν ἔχρω. Ex eo autem quod *S. Athanasius* *Leontium* ἔδδὲ ὡς Λαϊκὸν κοινωνεῖν oportuisse dicat, perspicuè satis innuit, istum contra legem Canonicam, non modo ad laicam communionem, sed & in Clerum admissum fuisse, quod prohibetur à *Canone Apostolico* XXII. Porro ea etiam, quæ *Dallæus* postea subjungit de *Valesius*, nihil nostræ opinioni detrimenti afferunt. Etiam si enim *Epiphanius Valesiorum*, qui seipso abscindebant, sectam ac dogma refellens argumentis tum à re ipsa, rectâque ratione, tum ab Apostolorum, Paulique nominatim in Epistolis doctrinâ petitis, nullam istorum Canonum mentionem fecerit, neutiquam tamen exinde sequitur, dictos Canones ante Origenem non prodiisse. *Epiphanius* enim in omnibus suis contra hæreticos disputationibus & commentariis Canones Ecclesiasticos nunquam citat, imò quidem nec ipsum *Nicanum* de Eunuchis conditum, ubi nefarios *Valesiorum* mores redarguit: ac proinde haud mirum est, quod de Apostolicis nihil habeat. Ex eo autem, quod is *Valesiorum* hæresin ante *Origenem* ponat, illos Episcopis Ecclesiam tunc temporis administrantibus horum condendi Canonum amplam satis materiam suppeditasse constat, usque adeò, ut illi curæ sibi commissæ rationem nunquam reddere potuissent, nisi tam flagitiosam & sceleratam hæresin in Ecclesia exortam legibus Ecclesiasticis quam citissimè coercuissent & confodissent. (11) Valeat igitur *Natalis Alexander*, valeat *Petrus Halloixius*, qui lib. IV *Origen. def. quæst. IX.* *Origenem* eviratū ritè promotum esse ad Presbyterii honorem docent: Ego ob allatas rationes malim cum *Beveregio*, *Inchofero*, & *Baronio* ad A 230. in contrariam sententiam discessionem facere. Interim videant, ne risum moveant lectoribus, prouti *Theodorus* quidam recentior Græcus *Constantini Porphyrogenneta* præceptor Apologiam pro Eunuchismo &

A 3

Eunu-

(11) Pessimus ille mos apud hæreticos à gentilibus, qui plerumque Hierarchas Eunuchos habebant, derivatus esse videtur: quemadmodum in ipsa Ecclesia Orthodoxa multi gentilium ritus increbuerunt: quod non tantum largiuntur *Baronius* aliique apud autorem libri Gallici 1657. editi: *La conformité des ceremonies modernes avec les anciennes*, sed & præter Anonymum illum Gallum peculiari quodam opere demonstrare promisit *Anton. van Dahlen* p. 336. libri de Oraculis. Specimen quoddam illius industriæ videre est in ejusd. dissert. de origine sacri *Tauropolii*,

Eunuchis spontaneis risu exceptam Græcè edidit. Cæterùm solidius lidius meo iudicio dici poterit, *Eusebium* in purgando Origene multis verbis haud usum, quia jam suâ ætate Eunuchos rebus Ecclesiasticis præfectos videbat. Luculentus hujus rei testis pariter est *Gregorius Nazianzenus* Orat. XXI. quæ est in laudem *Athanasii*, quæque sævitiam Eunuchorum in Catholicos v.g. *S. Athanasium*, ob oculos ponit. Licet autem istiusmodi Eunuchi secundum Canones sacris officiis indigni judicarentur, sæpenumero tamen vi adhibita, leges obmutuerunt. Indicio est *Leontius* paulò antè nominatus, qui contrà *Canones Niscanos Theodoretò* observante lib. II. cap. 26. H. E. ad thronum Antiochenum promotus est. Timuit igitur *Eusebius* homo maximè politicus (12) tertium hoc hominum genus, ut *Severus* appellabat, naturæ ulcus & reipublicæ pestem. Deinde parum curo *Eusebium*, quia sibi met ipsa contradicit. Origene sese execrandi causam fuisse hanc scribit, ne scilicet ex crebris puellarum ad se itionibus & alloquiis obtrectandi occasionem haberet malevolentia. At repugnat, quod mox subjungit, operam dedisse Origenem, ut factum illud occultaretur: nam si occultavit, quomodo rumores hominum ignorabile factum sopire potuit, quod evulgandum erat ad maledicentiam & obscænos mores compellendos? Vide *Huetium* l. I. Origen. c. I §. ult. qui cum observasset multa facta Origenis, quæ eidem vel vitio verti poterant, vel laudem egregiam promereri, omissa esse, lib. I. Origenianorum c. 2. §. 13. p. 14. meritò addit, *Eusebium*, quod res Origenis proprio & luculento Apologiae opere jam antea fuisset complexus, in Historia ducere obiter attingendas. Dolemus autem, quod Apologiae illius sex libri perierint, septimo tantum superstitè. Utcunque sit, *Dupinius* tamen in *Bibl. Nova* T. I. p. 145, & seq. cautiùs parciusve *Eusebii* accuratorem commendare debebat, monito *Huetii* benè expenso.

III. Argumentum inde necit *Dn. D. Fechtius* in disert. de Origene & Origenianis §. 8. quod objectioni totiens ipsi ab adversariis impactæ nunquam per liquidam negationem respondisse comperiat. Haud abnuo aliquid hujusmodi aliquando valere; verùm hæc causa nostra illud argumentum minimè admittit. Qui vim ejus maximè defendunt,

(12) De illò multorum iudicia junctim leguntur apud *Hankium* de *Scriptorib. Byzantinis* p. 127.

ferunt, ut *Joh. Lanojus* in peculiari libro, (13) tunc tantum efficax esse fatentur, cum nullum adest testimonium: ubi autem unicum saltem adducitur, generale silentium non est. Certè Origenes famæ suæ tot calumniis appetitæ consuluit, & submissas in nominis sui oppugnationem à Demetrio literas, scripta ad amicos quosdam suos Alexandriam Epistola luculenter confutavit: in qua etiamsi maledictis abstinere se velle declarat, asperè tamen & acerbè Demetrium eique consentientes adversùm se Episcopos perstringit, & illatam sibi injuriam inflictosque anathematismos refellit. (14) Nullum igitur hic silentium, nullum negantis argumenti fundamentum: præsertim si observetur adhuc locus ille insignis Origenis in præfat. ad Tomum VI. Comment. in *Johannem* p. 94. ed. Huëtii: ἐπειὶα τῶ ἐχθρῶ πικρότατα ἡμῶν καὶ ἀσχελευσαμένε δια τῶν καινῶν αὐτῆ γραμμάτων τῶν ἀληθῶς ἐχθρῶν τῶ εὐαγγελίῳ, καὶ πάντας τὰς ἐν Αἰγύπτῳ ἀνέμους τῆς πονηρίας καὶ τῶν ἡμῶν ἐγείραντες: Deinde inimico adversus nos acerbissimè pugnante per suas novas literas, reverà Evangelio inimicas, omnesque Aegypti ventos adversus nos concitante. Scio quidem *Paulum Ferrarium* hic *Maximini* in Christianos persecutionem intelligere, verum fallitur, deceptus nimirum loco *Eusebii* altero, qui est lib. VI. c. 28. ubi T. XXII. Origenis in *Johannem Maximini* persecutionem commemorari tradit *Eusebius*. (15)

IV. Argumentum quando *Huetius* lib. I. c. I. §. ult. p. 8. Origenianorum depromit, conjecturis suis nimium indulget. Scilicet Origenes veritus est, ne ex virginum, quæ ventitabant ad eum fidei Christianæ & studiorum gratia, consortio, labis aliquid attraheret, atque inficeretur præsentis juvenili fervore, quo sui malè compos ad voluptatem impelli poterat. Resp. I. Si firma esset ratio illa, facilè quis sed ineptè tamen suspicaretur, plures Alexandriæ Catechetas (16) nondum provec-tioris æta-tis

(13) Idem vi hujus argumenti plerasque de SS. in Papatu fabulas solidè rejecit, uti ostendi cap. I. dissertat. de *Cryptis seu Catacombis SS. Martyrum*. Impugnavit autem *Lanoji* libellum *Joh. Baptista Thiersus* qui tamen sententiam in Controversia de *S. Firmianis* mutasse mihi visus est. (14) Fragmenta hujus Epist. tantum extant apud *Ruffinum*, qui duriora adhuc verba contra *Demetrium* omisit, observante *Hieronimo* apud *Huetium* in Origenianis lib. I. c. I. §. 16. & *Dupinium* T. I. p. 206 edit. Lat. (15) Vide *Huetium* in Notis ad *Origen.* p. 99. *Personium* in *Vindiciis Ignatianis* c. XI. p. 328. edit. *Joh. Clerici* inter *Patres Apost.* *Cotelarii*. (16) De hisce fragmentum *Philippi Sideta* MSC. inseruit *Dodovellus* append. dissert. ad *Irenæum*.

tis homines, eandem ob rationem corpori suo vim intulisse. Sic *Didymus* juvenis admodum in κατηχηματικῶν docuit (17) cum puellis etiam conversatus, nec tamen à quoquam facinoris accusatus est. Secundò virgines cum mulierculis velamine caput tegentes aspectum curiosioribus occludebant, quod vel integris libris edocent *Tertullianus* atque *Cyprianus*, ille in librò de cultu muliebri & habitu muliebri, hic in libro de habitu virginum (18) Tertiò mulierculæ quemadmodum separato & aspectui haud obvio loco in templis sedebant (19) ità procul abio in Catechumeneis, castitatis causa remotius à vitis latuerunt. Quod si autem mulierculæ privatim intimiusve instruendæ forent, in Diaconissas munus illud devolvebatur, utpotè quibus sine ulla suspitione, illud tutius efficere liceret. (20) Quartò, cum sobria alterius sexus frequentatio, de quâ *Theophilus Raynaudus* peculiarem conscripsit librum, etiam apud Clericos esse queat, cur in Origene statim Eunuchismum fingemus? Denique etiam hoc accedit, quòd, cum tempore persecutionum plurimi Christiani cœlibes fuerint castique, uti passim in Apologiis suis Veteres Christiani gloriantur, quorum loca collegit *Grotius* ad Matth. XIX. v, 10. eodem castitatis dono Origenes præter omnium opinionem instructus esse potuerit.

V. Argumentum profert *Jacobus Pamelius* in Præfat. ad T. III. *Cypriani* editionis suæ & in annotationibus ad cap. I. libri *Tertulliani* de exhortatione castitatis, ex librò quòdam de singularitate Clericorum, ubi voluntaria genitalium amputatio non damnatur. Respondeo primò: licet in MSC. quodam regio Parisiensi Origenis nomen præferat (21) *Pamelioque* succinant *Landulfus à Columna*, *Lazius* *Cœlestinus*, *Antoninus*, *Vincentius Bellovacensis*, hodiernis tamen Criticis vulgò ex Origenis familia fœtum hunc depellentibus adstipulatur codicum dissensio, quorum alii *Hieronymo*, *Augustino* alii, plerique *Cypriano* assignant. (22) Secundò abjudico opus Origeni, quod in illo
fœmi-

(17) Vide *Adriani Bailleti* librum Gallicum de pueris præcocibus. (18) Confer lib. I. *Const. Apost.* c. 8. ubi *Cotelerius* contra *Georgium Cedrenum* rectè asserit, etiam post *Decii* Imp. ætatem mulieres non sine velamine prodiisse. (19) Vide lib. II. *Const. Apost.* c. 57. & *Chrysostomi* homil. 74. in Matth. (20) Confer præter B. *Zieglerum* in libro de Diaconis, *Guil. Beveregium* ad Can. XV. Chalcedon. *Iustellum* ad Can. XIX. Nicænum, *Cotelerium* T. I. *Patr. Apost.* p. 274. 287. (21) *Dupinius* T. I. *Bibl.* p. 207. edit. Lat. Paris. (22) *Huetius* in append. ad *Origeniana* §. XII.

fœminarum contubernium Clericis interdicator, cùm inter mulieres & puellas Origenes assiduè sit conversatus: (23) Par enim aderat liberiorum numerus una cum puellis.

VI. Argumentum corroboratur autoritate *Demetrii Episcopi Alexandrini*, qui primus Eunuchismum Origeni objecit, eundem scriptis ad omnes ubique terrarum Episcopos literis proscindens. Enimverò scio, quem locum Demetrius apud eruditos obtineat. Rectissimè Dn. *Fechtius*, in cujus iudicium hac in re discessionem faciunt omnes Critici, pronuntiat in dissertat. suprâ laudata §. 69. *Demetrium Alex.* inquit, *si sine odio in Origenem fuisset, profundum fortassè in Historia silentium occuparet: adeò nullibi sive ab eruditione, sive vita sanctitate, sive in Ecclesiam meritis celebratur. Hieronymus, cœteroquin hostis Origenis in Catal. Script. detestatur insaniam (ipsa verba sunt Hieronymi) Demetrii, quâ in Origenem per totum mundum super nomine ipsius scribendo debacchatus est.* Sine dubio intelligit criminationem Eunuchismi: nam præter illam nihil objecit Demetrius, quod ullum pondus haberet: nec enim propter dogmatum novitatem erroresque, sed invidia laudem virtutis ejus fuisse obtritam, fatetur ipsemet *Hieronymus* lib. II. in *Ruffin.* c. 5. Licet quoque consentaneum videatur vexandi ejus undiquaque causas quærentem Demetrium, opiniones ob novitatem suspectas & ab Ecclesiæ usu alienas traduxisse ac forsan damnasse, uti colligeret quis ex *Origenis* Epist. ad Alexandrinos. Maximam autem mihi movet admirationem, quod Demetrio, qui haud locuples scriptor est, fides tamen habeatur in hac lite. In exulceratis animis facilè fictum illud crimen insidet, prudentioribus non temerè ad credendum inclinatis. *Hermannus Deusingius* propius ad veritatem reliquis accessit (24) quapropter inquit *surdo* quoque mihi narratur elegans illa de castratione ejus fabella, accepta haud dubiè referenda *Demetrio Episcopo Alex.* qui invidia & odio *Origenis* accensus eam primus evulgavit. Cœterùm si indisquisitionem veniant tanti odii causæ, mihi vero fit simile, *Demetrium*, qui minori successu cum *Origene* (25) æmulabatur, hoc facinore

(23) *Baronius* ad A. 253. cap. 43. seq. & *Nat. Alex.* in H. E. sec. III. cap. IV. art. IV. p. 610. edit. Paris. in fol. (24) P. I. demonstrat. *Allegoriæ Historicæ, seu Historiæ Allegoricæ* V. & N. T. lib. I. n. 12. p. 9. (25) Dn. *Fechtius* §. 7. egregiè docet invidiam *Demetrii* inde quoque subnatam, quod *Origenes* singulari continentia illius apud populum gloriam obscurare videretur.

nore summam invidiam infamiamque Origeni conflasse, ut via ad Episcopatum perveniendi obstrueretur. *Henricus Valesius* (26) *Dupin* (27) & *Dn. Fechtius* (28) post *Photium* cod. CXVIII. fateor, scribunt, ægrè tulisse Demetrium urbis Episcopum, quod extrà diœcesin suam ad Presbyterium ab aliis ordinatus esset: at ego, ut idem putem, animum meum inducere non possum. (29) Etenim *Hieronymus* Origenem Athenas per Palæstinam, ubi ordinatus est, proficiscentem, Ecclesiasticam secum Epistolam attulisse refert in Catalogo, voce Origenes. Et ipse etiam *Alexander Hierosolymitanus*, qui eum ordinaverat, Epistolam scripsit pro Origene adversus Demetrium, eò quod juxtà testimonium Demetrii eum Presbyterum constituerat, ut scribit idem *Hieronymus* in Alexandro. Imò ipsi *Ægypti & Alexandriae* Episcopi in Epistola Synodica adversus Origenis doctrinam χειροτονηθέντα αὐτὸν πρεσβύτερον ὑπὸ τῆς κανονικῆς τε καὶ μιᾶς χειρὸς ἀληθινῆς, vocant. Denique, si Origenes invito suo Episcopo ordinatus esset, hoc ei non minus quam ordinatoribus vitio verteretur. Superest igitur ut dicamus invidiam fuisse causam tot tantorumque motuum, qui totam Ecclesiam in factiones dissiparunt.

VII. Argumentum inde petitur, quod Origenes ob Eunuchismum sacerdotio pulsus sit. Possem hic cum *Eutychio & Seldeno* multa opponere, verùm quia falsa sunt, adducam certiora, ne lectori fucum faciam. Nimirum *Eutychius Patriarcha Alexandrinus Melchitarum*, scriptor seculi X. in Annalibus Ecclesiæ Alexandrinæ docet, Demetrium summum Origenis adversarium tres sibi procul dubio velut auxiliares Episcopos instituisse, ut eorum scilicet ope adjutus majore autoritatis pondere Origenem in Synodo opprimeret: neque enim quisquam Synodum Nationalem unquam audivit coactam sine Episcopis. At (30) si Demetrius tribus tantum auxiliariis Episcopis, iisque contrà antiquissimam Alex. Ecclesiæ imò totius *Ægyptiacæ* consuetudinem ordinatis, stipatus atque communitus adversus Origenem Synod-

dicam

(26) in Notis ad *Eusebii* H. E. lib. 6. c. 8. (27) T. I. *Bibl. Novæ* p. 192. edit. Lat. (28) in dissertat. de Origene §. 7. (29) *Confec. Beveregii* annotationes ad *Canones Apostolicos & Huëtium* in *Origenianis* lib. I. c. 2. §. 12. (30) Ità etiam *Pearsonius* in *Vindiciis Ignatianis* c. XI. p. 327. seq. edit. Joh. Clerici: cujus libri aliorumque usum benevolè indulgèntiam nunquam infra merita sua nominandus *Dn. D. Weberus*, *Bibl. Acad. Præfectus* meritissimus.

dicam sententiam protulisset, an id *Origenes* ipse, an *Eusebius* acerrimus ejus hyperaspista tacuisset? Demetrius Synodo coacta decreto sancivit Origenem Alexandria pellendum esse, ut in *Apologia Eusebii* proditum est. Ex illa his verbis rem narrat *Photius* Cod. 118. *σύνδος αὐθροίζουσαι ἑπισκόπων καὶ τινῶν πρεσβυτέρων κατὰ Αἰγύπτου*: quæ minus rectè ab *Huëtio* exhibentur: *Synodus prior Episcopis & Presbyteris conflata* lib. I. *Origen. c. 2. §. 12*, non enim hoc Græca volunt, sed *Synodum Episcoporum & aliquot etiam Presbyterorum* indicant, quod aliud est: Episcopos scilicet fuisse plures, aliquos autem & Presbyteros. Deinde ipsemet *Origenes* in præfat. T. VI. in Johannem de multitudine non de paucitate eorum qui cum Demetrio in se conspiraverant, conquestus est. Non est igitur dubium, quin Episcopos ex Ægypto plurimos in Origenem concitaverit Demetrius: quem idcirco falsò tres tantum constituisse tradit nullo autore *Eutychius*, eosque in hunc ipsum finem constitutos, ut Origenem pellerent, nullâ cum ratione statuit *Seldenus*. Quod si autem plures cum Demetrio Episcopos fuisse concedam, nihil tamen illud sententiam dissentientium juvabit. A solo Demetrio vicinisque Præsulibus à dignitate quidem submotus est, Alexander vero sanctissimus divina revelatione constitutus Episcopus Hierosolymorum (31) & in Decii persecutione Martyr, cum reliquis ordinis sacri Viris in Palæstina, Arabia, Phœnicia & Achajâ Origenis Presbyterium studiosè defensitarunt: quo etiam factum, ut id honoris dignitatisque ad finem usque vitæ in Palæstina administrarit. Deinde Demetrianarum Synodorum mentionem nullam factam esse à *Theophilo* & *Epiphano* Origenis adversariis, ac nullam proinde ipsarum rationem duxisse, meritò observat *Huëtius* in *Origenianis* lib. II. c. 4. §. 19. p. 194. Fortasse autem dicent, Episcopos inscios quid factum esset, Origenem ordinasse. Finguntur hæc. Quoniam Origenes Palæstinam bis adiit, primâ vice ut Laicus, alterâ ut Presbyter, mirum foret, si Patres in Palæstina soli illud ignorassent, auribus eorundem, ut cum *Cicerone* loquar, peregrinantibus. Accedit & hoc, quod Eunuchismus ille clam Patres esse non

B 2

potue-

(31) Quæ revelatio est planè indubiæ fidei. Nam cum contra Canones constitutus esset Hierosolymorum Episcopus, partim quod ab uno Episcopatu Cappadociæ ad alterum transiret, partim quod seni *Narcisso* Episcopo viventi adhuc adjutor esset datus, illâ revelatione, in re hæcenus illicita, maximè opus erat,

potuerit, posteaquam Demetrius Origenem missis literis ubique gentium in summam invidiam adduxerat. Uterius quondam procedebat ὁ δεινός, homo indoctus atque insulsus, quem rustici mores certò ulciscuntur, objiciendo mihi in publico Literatorum confesso, Origenem cum Presbyter jam esset, se exsecuisse. Miserebat me tunc hominis insipidi, & publicè eum meliora edocebam hoc pacto subducens calculum. Qui Eunuchismum vulgò defendunt, docent, Origenem tantum XVII. vel XX. annos natum sese in juvenili fervore mutilasse: Presbyter autem, ex communi omnium Chronologorum consensu, ordinatus est anno ætatis XLII. vel XLIII. Ergò antequam esset Presbyter, sese virilibus privavit. (32) Reclamat alias annorum Origenis series, quã non accuratè observatã in varios errores homines proclives sunt. Haud ægrè feret Vir Magnus Dn. D. *Fechtius*, cui tantùm debent Rostochienses, ut plura ei debere non possint, si observem, §. 6. minus commode ab ipso tradi, quod Origenes nondum provectæ ætatis honori illi admotus fuerit. Nam præterquam quod calculus modo allatus contradicat, *Leo Allatius* quoque & *Morinus*, qui de interstitiis ordinationum in Oriente accuratè differunt, plura & meliora edocebunt. Confundit igitur *Fechtius* annos Catechetæ Origenis atque Presbyteri. Anno ætatis XVIII. Catecheta constitutus est, ætatis autem XLII. Presbyter. Denique, si vel maximè inscientes ordinassent, nonne re melius certiusque explorata, ob sancitos Canones, Origenem Ecclesiasticam aliquam regulam transilientem rejecissent? Certè cum ante Origenem *Valesii* Hæretici (33) atque Sacerdotes gentilium apud quos Sacerdotes Rheæ seu Cybeles Deorum matris, Galli etiam dicti, vel acuto lapide genitalia sibi abscindebant, vel cicutam bibebant, ut vim libidinis extinguerent, teste *Kirchero* T. I. Oedipi p. 240. Canones condendi occasionem dederint, Patres Origenem deponere debebant.

VIII. Argumentum nititur autoritate S. *Epiphani* Eunuchismum Origenis asserentis. Respondeo: *Epiphanius*, ex communi Criticorum consensu maximè credulus est, & parùm accuratus, multo quidem flagrat

(32) *Cont. Leonis Allatii* dissert. Epistol. de ætate & interstitiis in collatione ordinum etiam apud Græcos servandis, *Simeonis Thessalonicensis* libros duos de ordinationibus, & *Ioh. Morini* commentarium de sacris Ordinationibus. (33) *Epiphani*. hæret. 58. εἰσι δὲ πάντες ἀπόκατοι. Errat *Morinus* Dictionarii T. IV. p. 72. cum *Valesios* Origenem hoc in facinore posteriores esse fingit.

grat zelò, sed prudentiam minus frequenter adhibet, incertis rumoribus fidem adhibens. Quid igitur mirum, si in hac quoque lite omnium musculos populari ratione aucupatus fuerit? Postquam enim hæresi 64. T. I. Opp. edit. Petavii p. 527. hæc scripserat: Φασὶ δὲ καὶ τὸν τὸν Ορειγένιον ὄπινενοηκέναι ἑαυτῷ κατὰ τὸ σωματίον. οἱ μὲν λέγουσι νεῦρον ἀποτετμηκέναι, ἄλλοι τὸ μὴ ἡδονῆ ὀχλεῖσθαι, μηδὲ ἐν ταῖς κινήσει ταῖς σωματικαῖς φλέγεσθαι τε καὶ πυροβολεῖσθαι. ἄλλοι δὲ ἐχὶ φησὶν, ἀλλὰ ἐπενόησέ τι φάρμακον ὄπινεναί τοῖς μορδαῖς ἀποξηραίνει: *Eundem illum Origenem NARRANT quiddam in corpusculum suum excogitasse: sive nervum sibi, ut quidam existimant, incidere, quo se illecebrarum molestia liberaret, neque turpibus corporis motibus velut incendio quodam aestuaret, sive, quod alii malunt, medicamento aliquo partibus illis impositio resiccarit: addit sequentia: καὶ τὰ μὲν ὑπερογκῶς ὑπὲρ αὐτῶν λεγόμενα, πάνυ πεπισεύκαμεν, ὅμως τὰ λεγόμενα ἐξήπειν ἔπαρκαλίπομεν: Quæ igitur grandia de illo ac magnifica produntur, omninò fide digna censemus, nihilominus quæ communi sermone percrebuerunt, præterire nolimus. Postrema verba idè Græcè adduxi, tum ut mens Epiphaniæ melius constet, tum ut vitiosa Petavii versio, quæ Dn. Fechtio (absit verbo invidia) imposuit fucumque fecit (34) emendaretur. Scilicet Lojolita ille, [qui in Epiphania edendo summa expectatione minus præstitit iudice Montacutio (35) imò, si iudicio Salmasii (36) fidem habeamus, mala versione nec melioribus notis instruxit, rectius conspurcavit, & juxtà Crojum (37) in Epiphaniæ editione negligenter versatus, ne millesimam verborum Epiphaniæ partem, intellexit) (38) particulam NON malè versioni inse-*

B 3

ruit

(34) in fine §. XI. (35) in annot. ad Epistolas Photii. (36) in tract. de Transsubstant. p. 55 & 540. (37) in Observ. in N. T. c. XIX. seq. (38) vide *Ittigium* in præfat. libri de Bibl. Patrum p. 67. quò de libro observo, recensionem plurimum scriptorum in illo desiderari: Quemadmodum p. 614. recenset Vetera monumenta contra Schismaticos jam olim pro Gregorio VII. aliisque nonnullis Pont. Rom. conscripta & edita à *Sebast. Tengnagel*, ità commemorare debebat scripta Veterum contra eundem Gregorium junctim à *Goldasto* edita. Quemadmodum p. 630. recenset II. Tomos Græciæ Orthodoxæ de processione Spiritus S. à *Leone Allatio* editos, ità addere debebat *Petri Arcudii* aurea opuscula, quæ ejusdem generis Gregor. scripta sunt. Cùm p. 762. prolixè describit Bibliothecam Juris Canonici Veteris à *Guil. Voëlle*, & *Henr. Justello* editam, minus rectè omittit *Beveregii* Pandectas Canonum, & *Leuenclavii* Jus Græco-Romanum. Deniq; cur *Isaaci Haberti* Pontificiale Græcorum & Euchologium Græcum *Iac. Goari* præterit, cum Liturgiæ Græcarum collectiones commemorat p. 627, cur *Pamelii*, *Cassandri*, *Ioh. Ma-*

ruit hoc modo: *Qua igitur grandia de illo ac magnifica produntur, NON omnino fide digna censemus.* Quemadmodum autem suspicio credulitatis atque imprudentiæ omnem fidem autoritatemque Epiphanio derogat, ita facile quilibet videt, non magnam rationem habendam esse Hieronymi Epist. 65. atque Nicephori, lib. III. Hist. c. 8. qui Epiphanio hoc in loco minus cautè succinunt.

IX. Argumentum derivatur ab Origenianis, qui quod fœditatem variam libidinis œstrum comprimendi exercerent, Fœdi vulgò dicti, & vitam Origenis imitati, ejus exemplo, ut casti essent, se castraverunt, Respondeo: incertum est, utrum *Origenista* simpliciter dicti, an *Origenista*, qui *Fœdi* cognominati sunt, principem unum eundemque habeant. Id miror, temere nonnullos affirmare, quod ignorare se testatur *Epiphanius*: cujus verba parum sincere reddidit *Augustinus*: cum enim conceptis verbis nescire professus fuisset *Epiphanius*, an ab Adamantio Origene, an ab alio impuri Origenistæ propagati sint, hæc ita reddidit *Augustinus* hæc. 42. *Origeniani à quodam Origene dicti sunt, non ab illo, qui ferè omnibus notus est, sed ab alio, nescio, quo, de quo vel sectatoribus ejus Epiphanius loquens &c.* Vitiatam ab *Augustino* sententiam nova accessione fœdavit Augustini simius *Prædestinati autor*, quem edidit *Sirmondus*: sic enim scripsit: *quadragesimam & secundam heresin Origeniani inchoaverunt, à quodam Origene, non illo, qui fere omnibus notus est, sed alio Syro quodam sceleratissimo.* Verba hæc *Augustini*: *Sed alio nescio quo, videtur falsa hac lectione depravasse: Sed alio Syro quodam.* (39) Idem capite sequenti alium nobis obtrudit Origenem ab Adamantio nostro diversum, dogmatum eorum autorem, quorum Adamantium Epiphanius accusavit. *Sophronius Hierosolymitanus* geminum quoque Origenem, alterum antiquiorem, Adamantium alterum commemorat in Epistola ad *Sergium, Patriarcham C. Politanum*, quem cum *Servium* vocat *Celeb. Dn. D. Buddeus* de allegoriis Origenicis p. 162 aliquid humani passus est. In eodem censu est *Joh. Damascenus* in libro de hæresibus geminum

billonii, Iosephi Mariae Thomassii, Corn. Schultingii Liturgica omittit, cum p. 536. *Melchioris Hittorpii* scriptores de Catholicæ Ecclesiæ divinis Officiis, & p. 664. *Joh. Cochlei* scriptores eisdem de Officiis adducat. Nævos alios prætereo v. g. quando *Petrum Halloixium* Illustriū Ecclesiæ Orientalis scriptorū, qui primo & secundo seculo floruerunt, vitas & documenta colligentem omittit. (39) ita *Hætius* observat lib. I. Origen. c. I. §. 7. Interim inscitæ planè adscribendus tantus error, quò etiam *Entychius Patriarcha Alexandrinus* inductus est, ut ex Origene nostro Presbytero Episcopum Manbagensem, qui hætenus nemini innotuit, temerè effingeret, annotante *Peirsonio* in *Vindiciis Ignarianis* p. 327 seq.

geminum fingens Origenem: unde duplices orti sint Origenistæ Fœdi & Adamantii sectatores. Atque ità duone extiterint Origenes Origenistarum principes, addubitavit *Epiphanius*; asseverarunt *Augustinus*, *Sophronius*, & *Joh. Damascenus*, tres autem finxit Autor Prædestinati. Quis certum aliquid, inter tot animorum dissensiones & lites, definire poterit? *Melchior* equidem *Inchoferus* in dissertat. de Eunuchismo p. 403. *Baronius* ad A. 256. *Dn. D. Fechtius* §. 8. & 99. Fœdos illos ab Origene Adamantio derivant, at præterquàm quod nulla ab iisdem argumenta, quibus movear, afferantur, *Suicerus*, (40) *Veteres imitatus*, prudenter modestèque τὸ fortè addidit.

X. Argumento efficere conantur, quod Origenes se exsecuerit. Nimirum *Origenes* verba illa *Matth. XIX. 12. sunt qui castrant se propter regnum cælorum* juxtà literam interpretatus est. Respondeo primò: dicant mihi dissentientes quonam in libro ità verba ea exposuerit. In hodierno *Origenis* ad *Matth. T. XV. p. 366* edit. *Huetii* sanior atque dexterior enodatio occurrit. Neque ulla subest ratio, ob quam cum *Dn. Fechtio* §. 8. credam, adulter autem accessisse manum, quæ expunctâ priori literali expositione, allegoricam restituerit. Nam hoc pacto facile quis eximere posset *Origenis* scriptis omnia loca, in quibus conjugal castitas Eunuchismi adversatrix, impensioribus verbis collaudatur. (41) Cautius equidem ac reverentius *Antiquorum*, sed *Patrum* præsertim monumenta attingi vellem. Nam quamvis parcè (verba *Huetii* in *Origenianis* lib. I. cap. IV. §. 5. p. 23. de *Baronio* judicantis mea facio) & non sine aliqua verisimilitudine manus *Origeni* attulerit hoc loco *Dn. Fechtius*, Vir, ut excellens ejus ingenium & singularem doctrinam fileam, sagacissimæ in arte Critica & acerrimæ naris; hoc tamen exemplum in sequens ævum labem trahere potest, ut tanti viri auctoritate producti literati homines, venerandæ vetustatis operibus illudere, eaque ad libitum recoquere ac incudi suæ reddere fortasse ausuri sint. Secundò, dicit *Origenes* lib. VII. contrà *Celsum* p. 365. edit. *Spencer*. (42) καὶ εἴμεν πρὸ παρ' Ἀθηναίους ἱεροφάντης ἔδὲ πρὸ πρὸ μὲν, ἑαυτῶ τὰς ἀρσενικὰς ὀρέ-

(40) in *Thesaurò Ecclesiastico* T. I. p. 1257. (41) Vide *Dn. Arnoldi* *Chelich* und *Unehelich* Leben der alten Christen. Interim non nego etiam alibi apud *Origenem* de conjugio duriora verba reperiri, quæ indicavit *Huetius* in *Origenianis* lib. II. c. 4. §. 3. p. 182. (42) Mirum, cum *Dn. D. Fechtius* hunc locum §. 8. adduxerit, eundem accuratè haud perlegerit; quod si factum fuisset, quantam lucem accepisset?

ὁρέξεις, ὡς κύριον αὐτῶν εἶναι δυνάμενον, καὶ κρατεῖν εἰς ὅσον βύλαι, κωνιαοῦς τὰ ἀρσηνικὰ μέρη, καθαρὸς εἶναι νομίζεται πρὸς τὴν νενομισμένην παρ' Ἀθηναίους ἀγιστείαν. Ἐστὶ δὲ ἐν χριστιανοῖς ἰδεῖν ἄνδρας μὴ δέηθεντας κωνεῖς, ὡς πᾶσαν Ἰπιδυμίαν ἀπὸ τῆς διανοίας αὐτῶν ἐξελάσαντες, τὸ θεῖον εὐχαῖς θεραπεύουσιν (43) *Et apud Athenienses quidem unicus Pontifex ne ipse quidem satis sibi fidens, quod imperare posset masculis cupiditatibus, cicuta (44) oblitis virilibus, putatur satis idoneus ad castè obeundas ejus civitatis solennes cerimonias. Et apud Christianos non desunt viri, quibus cicuta ad hoc nihil opus est, ut Deo castè serviant, sed pro cicuta eis verbum Dei sufficit ad expellendas è cogitatione omnes concupiscentias, & vacandum precationibus. Tertio si Origenes verba illa literaliter exposuisset, quod non credo, Exegesis illam novam atque Origeni imprimis insolitam (nam omnia fermè in allegoricum traxit sensum) (45) particulæ τὰ χὰ fortè, δοκεῖ videtur, ut moris Origeni est, subsequerentur. (46) Quotusquisque autem est, qui credat, Origenem etiam juvenem, diu animo in diversa versatò in se conscivisse illud facinus, quod libidinis cæstrum non tollit [uti Leontii Eunuchi lascivientis exemplo supra probatum est] & suspicionem lasciviæ planè non tolleret. Etenim cùm Abelardus redargutus de nimia familiaritate cum Amica quidem sua Heloissa & aliis monialibus Paraclitensibus (47) respondet, Eunuchos, qualis ipse factus erat per mutilationem ut dicitur, tutò & absque omni periculo*

(43) Eandem castitatem Veterum Christianorum objicit Tertullianus in Apologetico, & luculentiora haberemus testimonia, si temporis injuria non interissent libri *Clementis Alex* de Continentia atque Conjugio. Cæterum cum precibus ad castitatem obtinendam opus esse dicit, addo quod *Monachis* peculiaribus libris idem inculcarint B. Patres, qui extant apud *Petrum Possinum* in Thesauro ascetico, *Claudium de Chantelou*, atque *Dacherium*, quem infra adducam. (44) ità tradunt *Plinius* lib. XXV. c. 13. & *Dioscorides* lib. IV. c. 77. (45) Vide post *Huetii* *Origeniana* lib. II. c. 2. quæst. XIII. *Celeb. Dn. Buddæi* peculiariter dissert. de Allegoriis Origenis, quæ inserta est ejusdem patris pag. 143. (46) hujus rei plura testimonia adducunt *Ioh. Rudolph. VVetstenius* in Notis ad Epist. Origenis ad *Africanum* p. 160. *Petrus Halloixius* Origen. def. lib. II. c. 2. *Huëtius* in Origen. lib. II. c. 3. §. 11. p. 189. (47) Monasterium enim Spiritui S. Paraclito erat dicatum. In antiquis libris Spiritus S. vocatur *Paraclitus*, non ut hodiè *Paracletus*. Priorem lectionem defendit *Ioh. Baptista Thiersius* in peculiari tractatu de retinenda in Ecclesiasticis libris voce *Paraclitus*, conf. le Journal de Savans 1669. du 16. Decembre & *Petri Baelii* Dictionar. T. II. p. 724. Unus idemque est sensus, diversa autem pronuntiatio τὰ η.

lo posse versari cum foeminis, frigidè se tantum defendit, iudice *J. Heriberto Cemeliensi* (qui est *Theophil. Raynaudus* Jesuita) in libro de Eunuchis p. 148. qui in eodem tract. c. V. art. II. n. 17. p. 147. verba *S. Basilii* in libro de S. Virginitate, addit: *Masculina corpora, licet illa Eunuchorum sint, cautè vitanda sunt virgini. Sit enim licet Eunuchus, vir tamen per naturam est. Sicut enim cornutus bos, etsi illi præcidantur cornua, non tamen sublatis cornibus equus efficitur; sed absint licet cornua, bos tamen est: ità & masculus, abscissis genitalibus omnibus, ea tamen mutilatione sua, mulier effectus non est, sed masculus, (ut est natura conditus) permanet: ac sicuti bos recisis cornibus, sic quoque furore cornu petit, (cervicem quippe incurvans, & caput ad ferendi impetum formans, gaudet intentare minas,) ac sæpius ea parte capitis ferit, quâ cornibus antea fuerat armatus, satisfacitq; furori per actus imaginem: (itâ enim afficitur correptus ira impetu, non ut cassi, feriens vulnere, sed ut prius ictu cornuum scindens ac dividens:) itâ & masculus quamvis abscissis genitalia, vitiosa tamen concupiscentia masculus est. Quocirca & ipse se ad actum foeditatis similiter formans, amorem spirat, incredibilemq; vesaniam: imò & ad coitum fervens, etiamsi ea parte non violet, foemina turbulentus incumbens, ipse tamen ac si corruperit, satisfacitque cupidini, itâ sceleris imagine affectus est. Eam verò ad peccatum vehementius irritans; totum quidem corrumpit animum, corpusque ad corruptionis actum vehementer instigat. Quibus addi poterunt *Joh. Cassiani* verba *Collat. XI. de castitate cap. XI. p. 408. IV.* Si conjecturis tantum indulgere velint dissentientes, poterunt itidem fingere, *Origenem* sese exsecuisse, cum non intelligeret verba illa *Pauli ad Coloss. III, 5. νεκρώσατε τὰ μέλη ὑμῶν τὰ ὄπι γῆς.* Nempè observante *Heinsio* in exercitationibus ad *N. T. p. 496. τὰ μέλη* sunt *אבריו* quo nomine Talmudici pudenda denotant.*

XI. Argumentum addunt *Guil. Beveregius* in *Notis ad Canones Apostolicos & Huetius* lib. II. *Orig. p. 175. edit. Colon. sive rectius Lipsiensis*, atque in illo planè triumphant. Nempè docent *Origenem* inconsulti sui & temerarii facti, quod vigente juvenili fervore perpetraverat, pœnituisse, atque colligunt illud ex sequentibus verbis *Origenis* in *Comment. ad Matthæum. Ημεῖς δὲ χειρὸν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ κατὰ σαρκὰ καὶ κατὰ τὸ γράμμα ποτὲ νοήσαντες, νῦν ἔκτετι γινώσκοντες, ἐκ εὐδοκῆμεν ὡς καλῶς ἐξεληφόσι τοῖς κατὰ τὸν τρίτον εὐνυχισμὸν ἑαυτοῖς προφασει τῆς βασιλείας τῶν ἑραυῶν ἐπάγασι; nos autem qui Christum Dei ver-*

C

bntm

*bum secundum carnem & secundum literam olim novimus, nunc autem non amplius noscentes eorum interpretationem non probamus, qui caelestis regni obtinendi causa tertiam castrationem (per vim) intulerunt. Respondeo adhuc: verba illa vel planè supposita esse, vel saltem in mendis cubare videntur, quibus emaculandis Codicum MSC. copia desideratur. Nam Huetii editio dubia cuiquam videretur, cum *Julius Caesar Bulengerus* Jesuita in disputationibus contra Casaubonum P. 2. Diatrib. 3. p. 166. 167. 191. multa adducit ex commentariis Origenis in Matthæum MSC. quæ nunquam visa sunt Huetio, quæque indicant, longè locupletiores fuisse editionem, *Bulengeri*, si quam molitus fuisset. Utcunque autem sit (nam divinationi non indulgeo) videant I. Celeberrimi Duumviri, quò pacto confessionem illam propriam Origenis cum Eusebio concilient, qui lib. VI. c. 8. edocet, Origenem maximam adhibuisse curam, ut facinus illud etiam amicos suos celaret, τῆς ποικίλης τῶν ἀμφ' αὐτὸν γυναικῶν διαλαθεῖν φροντίσαντα. Quod si autem Origenes amicos optimos, qui ipsius famæ non insidiabantur, clam esse voluit vitium suum, (rem certam esse pono) num hostibus suis quamvis cavillandi atque calumniandi occasionem arripientibus magis credidisset, ut, quod amicos celasset, hostibus conceptis verbis confiteretur, atque literis, quo legi posset à quolibet, mandaret? Quodcunque effugium dissentientium erit, apertè falsum erit, nihilque infelicius dici poterit eorundem responso. Idò quod verba dubia sint, inde fortè elucescet, quod Origenes more suo non addit scriptum, in quo extet illa literalis & incommoda expositio. Varia inter Criteria, quæ in distinguendis genuinis scriptis Origenis à falsis sollicitè observanda credunt inculcantque Viti Summi, artis Criticæ peritissimi (48) non postremum est genuini operis Origeniani indicium, si proprios citet libros, lectorique perlegendos commendet. III. verba illa à quoquam adjecta quispiam conjiciet quia si Origenem tandem & expositionis & facinoris sui pœnituisse, non fuisset tam serus & ineptus nominis sui vindex. Namque uti eruditi Viri omnes fatentur, Commentarium hunc in Matthæum in quò sero resipuit, sexagenario major scripsit, paulò post denatus, juxtà *Hieronymum* anno ætatis LXVI, juxtà *Eusebium* LXIX. (49) Quà occasione non possum non observare verba illa *Dn. Fechtii*, quibus §. IX. *Origenis**

(48) *Dupinius* T. I. Bibl. Novæ p. 130. edit. Gall. *Ioh. Pearsonius* in *Vindictis Ignatianis* p. 302, edit. *I. Clerici*. (49) Vide *Dupinium* l. c. p. 146. B.

genem scripsisse quidem confitetur, non tamen antequam sexagesimum ætatis annum prætergressus esset, cum grano salis accipienda esse. Quod si enim, uti verba conceptissima testantur, velit de omnibus scriptis Origenis idem sentire, obluētantem habebit veritatem, quod dictum Vir Magnus haud ægrè feret, præsertim, si ipsemet pro suâ sagacitate nonnulla in illa disputatione, quæ juvenilis eruditionis atque industriæ olim specimen fuit, reperiet, quæ posterioribus curis, lubens delebit. Atque hac addita honoris præfatione, observo primò contrà Virum Magnum, Origenem adhuc puerum Commentarios in S. Scripturam edidisse, v. gr. Commentarios in Lucam (50) Deinde eundem confundere homilias Origenis extemporales, quas à Notariis excipi ante LX. ætatis annum haud permisit, cum aliis ejusdem scriptis. IV. Si dare velim, locum Origenis genuinum esse: obtorto tamen collo in sententiam suam eundem abripiunt. Etenim Origenes in Tomis, ubi ad mysticum sensum, qualis hîc observatur, explicandum se applicat, vel precibus ad Deum sæpius se convertit, ut Spiritu S. illuminatus illa magna, ut appellat mysteria perspiciat, vel Deo gratias agit, quod feliciter sensum mysticum sit assecutus. Hoc sæpius ab Origine factum est, ut Summi Critici *Pearsonius & Dupinius* paulò antè commemorati, inter firma criteria falsa à genuinis scriptis Origenis distinguendi, referant. Hoc in locò ideò sic loquitur Origenes, quod præter Valesios, Marcionem hîc habeat adversarium, quem omnem sensum mysticum minus rectè spernere, observat. Erat prætereà alius isque gravissimus Marcionis error. Scilicet, uti duplicem Deum finxerat, ita & duplicem Christum, alium qui Tiberianis temporibus à Deo quondam ignoto revelatus sit in salutem omnium gentium, alium, qui à Deo creatore in restitutionem Judaici status sit destinatus, quandoque secuturus, uti ipsemet *Origenes* observat lib. II. *περὶ ἀρχῶν* cap. 7. citatus etiam in Apologia Pamphili, ad stipulantibus *Justino M. & Tertulliano*, quos refert *Joh. Baptista Cotelerius* in Notis ad Clem. Const. Apost. lib. VI. c. XI. Hunc etiam errorem tangit prudenter Origenes, quando ait non *χειρὸς λόγον*, quasi Christi verba de Eunuchismo secundum carnem accepisset, sed *χειρὸν λόγον*, quem juxtà carnem intellexit, respiciens ad peregrinas suas & incommodas de Christi deitate opiniones, quas alibi in Apologia sua ad *Fabianum Papam* detestatus est, quæque cum Marcionitarum dogmatibus æque

(50) Vide *Hieronimum* in Catalogo voce Origenes.

periculosaerant. Sensus igitur verborum Origenis hic est: *Se hactenus de Christo pariter cum Marcionitis male locutum, jam resipiscere. Atque ne hæc frustra dixisse videar, ostendam ex loco quodam nostro simili, quod χειρὸν λόγον juxta carnem agnoscere, nihil aliud sit quam Christi divinitati in Evangelis per miracula passim patefacta insidiari, sive more eodem cum Marcionitis omnem sensum mysticum respicientibus, atq; ejusdem præcepta moralia, in quibus multa parabola mystice non secundum literam exponenda occurrunt, hoc modo sugillantibus, vel more paululum ab iis diverso.* Nempè de transfiguratione Christi, quam pauci vident, ita scribit ad *Matthæum* p. 147. edit. *Huetii*: εἶδε θεοὺς τὴν μεταμορφωσιν τῆς Ἰησοῦ ἰδεῖν ἐμπροσθεν τῶν ἀναβαίνων εἰς τὸ ὑψηλὸν ὄρη κατ' ἰδίαν σὺν αὐτῶ, ἴδε μοι τὸν ἐν τοῖς εὐαγγελίοις Ἰησοῦν ἀπλήστερον μὲν νοούμενον, καὶ ὡς ἀνὸν- μάσαι τις ΚΑΤΑ ΣΑΡΚΑ γνωσκόμενον τοῖς μὴ ἀναβαίνουσι ἀπὸ τῶν ἐπιναβεβηκότων ἔργων καὶ λόγων ὅτι τὸ ὑψηλὸν τῆς σοφίας ὄρη. ἐκέπτε δὲ ΚΑΤΑ ΣΑΡΚΑ γνωσκόμενον, ἀλλὰ ΘΕΟΛΟΓΟΥΜΕΝΟΝ δι' ὅλων τῶν εὐαγγελίων, καὶ ἐν τῇ τῆς θεοῦ μορφῇ κατὰ τὴν γνῶσιν αὐτῶν θεωρούμενον. τέτων γὰρ ἐμπροσθεν μεταμορφῶται ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἔδεν τῶν κάτω. *Si autem transfigurationem Jesu videre cupis, quæ coram iis contigit, quæ in montem excelsum seorsum cum eo adscenderunt, vide mihi Jesum in Evangelis quidem simpliciter intellectum, & ut dixerit aliquis SECUNDUM CARNEM iis cognitum, qui per sublimia opera & sermones excelsum sapientiæ montem non conscendunt: non amplius autem SECUNDUM CARNEM cognitum, sed theologicè per omnia Evangelia predicatum & assertum & in Dei forma per eorum cognitionem conspectum. Coram illis enim transformatur Jesus, non iis, qui infra sunt.*

§. III.

Atque hæc est argumentorum, quæ refutavi, series. Jam nihil amplius addo, quam breves quasdam observationes ad argumentum I. dissentientium supra statim in fronte examini subiectum. I. cum in notis n. 4. p. 1. *Hugonis Menardi* Benedictini concordiam regularum cito, mens mea non est primum autorem hujus concordia *Menardum* constituere, sed indicare, notas etuditas eundem adjecisse in Concordiam *Benedicti* ab ipso in lucem editam. Accedit & hoc, quod *Menard* nomen notius sit *Benedicti Anianensis* Abbatis ex seculo IX. qui in Concordia illa regulam *S. Benedicti* cum aliorum Patrum XXV. regulis commisit. II. *Menardi* Concordia addi debet ex seculo XI. *Dunstani* Archiep. Cantuariensis

concor-

concordia regularum cap. XII. continens, quam *Clemens Reinerus* Benedictinus Anglus inseruit appendici ad dissert. suam de antiquitate Ord. Benedictini in Anglia. De utroque *Benedicto & Dunstano*, ut & *Luca Dacherio*, qui Benedictum Anianensem, Holsteniumque secutus, *Grimlaici* regulam Monasticam cum aliis edidit sub titulo: *Asceticorum, vulgo spiritualium opusculorum quæ inter Patrum opera reperiuntur, indiculus Christiane pietatis cultoribus ab Asceta Benedictino congreg. S. Mauri digestus.* Paris. 1648. in 4 prolixè agam Deo juvante in Supplementis ad *B. Sagittarii Introductionem ad Hist. Eccles.* mox edendis; quia *Dn. Itigius* in numero de Bibliothecis Patrum tractatu, nec *Dunstani* nec *Dacherii*, qui ipsum latuerunt, mentionem facit. III. Quod de aspectu propriæ nuditatis vetito apud Monachos dixi, verissimum est. Plura enim exempla Monachorum, qui nunquam per integram vitam propria corpora nuda aspexerunt post *Sozomenum & Socratem*, Scriptores Historiæ Monasticæ *Theodorus* in Historia religiosa, seu Philotheo Ascetarum XXX. elogia continente, *Palladius* in Historia Lausiaca seu de SS. Patrum vitis ad Lausum cubiculi præfectum inde Lausiacam dicta, [quos cum aliis autoribus nitidè edidit & notis illustravit *Heribertus Rosveydus* Jesuita Lugduni 1617. sub titulo: de vita & verbis Seniorum libri X. historiam Eremiticam complectentes] prolixè recensent. Addantur *Balthasar Bonifacius* in Historia Ludicra pag. 181. & *Petrus Balus* in Dictionario T. I. pag. 105. qui veterum testimonia fide digna censent. Scio quidem *Thomam Sanchez* Jesuitam Hispanum de Matrimonio lib. IX. disp. 46. n. 27. seq. inter peccata venialia referre, propria reverenda aspicere ex quâdam curiositate absque alia mala intentione & periculo: verum ab illa licentia Vetus disciplina Monastica abhorret. Scio porro quod Monachi quidam in Veteri Ecclesia fuerint, qui putabant licitum esse, nuda ostendere corpora, vestibus pro lubitu assumtis, & balnea mulierum accedere, ut suam ostenderent ἀπάθειαν, teste *Evangrio* Hist. Eccles. lib. 1. c. 21. & *Nicephoro* l. XIV. c. 50. verum inde non sequitur licitum fuisse *Origeni* corpus nudum Medicis ostendere. Sanè quod *Hieronimus* in Epistola ad *Latam* ait de virgine: se ipsam debet erubescere & nudam videre non posse, de Monachis piis verissimum. Deinde mixta illa lavacra prohibuerunt B. Patres, *Clemens Alex. Cyprianus, Chrysostomus, Hieronymus* aliique, quos adducit *Cotelerius* ad lib. 1. Constit. Apost. cap. VII. p. 206. edit. Clerici. Imò plurimi Monachi cum Monialibus

nialibus ob nuditatem corporis haud ostendendam, balneis abstinuerunt, exceptâ summa necessitate, uti idem *Cotelerius* egregiè ostendit ad lib. I. Constitut. c. IX. p. 209. Deniq; videntur Monachi illi planè delirasse, si alios eorundem mores rusticos & penè inhumanos apud eosdem autores consideres. V. Historiam *Syagrii*, addita *Ambrosii* Epictisi dignam censuerunt, ut prolixè exciperent *Dupinius* Biblioth. T. II. p. 278. edit. Belg. *Vincentius Tagerellus* (*Tagereau*) Advocatus Parisiensis Senatus Discours del' impuissance del' homme & dela femme ch. 4. p. 57. edit. Paris. 1612. qui postremus fusè ostendit *Ambrosium* secutus, quod inspectio istiusmodi Medica & turpis & incerta sit, & consentientem habet *Nicolaum Venette* Med. Doctorem Profess. Regium Chirurgiæ & Anatomix, Decanum in Collegio Regio Medicorum Rupellensi, hætenus latentem sub nomine *Salocinii Medici Veneti* p. 578. seq. du Tableau del' amour conjugal opt. edit. 1696. Prolixiora excerpta ex utroque *Tagerello* & *Venettio*, leges in *Balii* Dictionario T. II. p. 905. qui simul addit verba *Iustiniani* in institut. lib. I. titulo 22. *Nostra Majestas dignum esse castitate nostrorum temporum existimans benè putavit, quod in feminis etiam antiquis impudicum esse visum est, id est inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculos extendere.* Sufficiant etiam hæc de primo argumento. Num in hoc aliisque argumentis refutandis probè accuratèque versatus sim: Viris harum rerum peritis dispiciendum relinquo: vulgus eruditorum non moror. *Nunquam enim* (verbis *Seneca* autor Epist. XIX.) *volui placere populo, nam quæ ego scio non probat populus, & quæ populus probat ego nescio.* Neque illos multum curo, qui *Franciscum Sanchezium* Medicum Tolosanum in dissertatione: quod nihil sciatur, secuti, conqueruntur de vanitate scientiarum, quas inter præcipua est Hist. Ecclesiasticæ, utpote *Carrelio* Theologo Lugdunensi in Gallia peculiari libello Gallico commonstrante ad S. Polymathiam sufficientissima. Nam præterquam quod à *Joh. Ulricô Wildiô* in pec. dissertatione sub titulo: quod aliquid sciatur, Lipsiæ 1664. edita, *Suarezio* satis responsum sit, Viri etiam harum rerum periti, fidem Historicam contrà Scepticos solidè defendent, quos inter cum Tu Erudite Lector sis, Tibi accuratum judicium defero: Tu (verba *Augustini* more *Lemonii* in fine Prolegomenôn ad Varia S. mea facio) *ubi certus es, perge mecum, ubi pariter hæsitas, perge mecum, ubi errorem tuum cognoscis redi ad me, ubi meum, revoca me, ubi falsus sum, doce, ubi fallax, cave.*

FINIS.

Perreves

Perreuerendo, Præcellenti, Clarissimog,

V I R O,

D N. M. P E T R O Z O R N I O,

S. Theol. Licentiando dignissimo,

S. P. D.

P R A E S E S.

Qui Patrum, quod vocant, studium leve, & vel non necessarium vel non dignum satis judicant viris doctis, si risu forte magis & commiseratione quam refutatione proluxa digni sunt; cum in tanta renascentium literarum & erudæ Antiquitatis luce, ne dubitare quidem amplius liceat, quin non tantum valde utilis, sed etiam si adversarios spectamus Antiquitatis falsa specie fucum sæpe facientes imperitisque imponentes, necessaria sit Patrum lectio diligens & accurata. Non tamen omnibus Corinthum adire integrum est, sed requirit hæc res hominem, ut *Chemnitius* noster dudum observavit, non solum multæ lectionis, sed præcipue singularis cujusdam judicii, cui quasi in conspectu sit forma doctrinæ in Ecclesia omnium temporum, ut sciat, quid in singulis Patribus sit præcipuum & quasi emineat, ac ubi cavendi sint scopuli in illis locis, in quibus vel parum dextre, vel parum commode locuti sunt, quaque occasione minus accurate dicta illis exciderint, & quomodo alia ætas motis disputationibus illa postea correxerit. Cumque longe plures adhuc sint utilitates, quæ ex Doctorum Ecclesiasticorum lectione percipi queant, facile intelligi potest, quantæ molis laboris & industriæ sit, ita versari versatumque esse in sacris Antiquitatibus, quas ex Patrum monumentis haurimus, ut, quæ vera ac recepta semper, quæque falsa & rejecta sint, dilucide ostendatur. Tametsi enim unica, infalibilis & irreformabilis, ceu loqui amat *Tertullianus*, regula fidei sit Scriptura S. & consensus Patrum talem locum non habeat, nec habere debeat, quemadmodum ex recentis ævi disceptationibus inter Nostrates quoque agitatis, liquere arbitror: non tamen parvi ducendum est consentiens Patrum ac Apostolicorum imprimis judicium; ubi haberi potest, & multum valet ad novitates falsitatesque, quæ paulatim

D

paulatim

paulatim irrepserunt, detegendas & refellendas; cum venerabile apud
 omnes sit Antiquitatis purioris nomen, Novitatis autem vere talis
 haud abs re suspectum. *Hilarius* proinde recte jam suo ævo dixit,
 periculosum nobis admodum atque etiam miserabile esse, tot nunc
 fides existere, quot voluntates; dum aut ita fides scribantur, ut vo-
 lumus, aut ita, ut volumus, intelligantur; & dum plures fiant, ad id
 cœperint esse, ne ulla sit. Si de moribus vel consuetudinibus receptis
 dicere solemus, antiqua esse servanda: *Man soll es bey dem Alten
 lassen bleiben* / cur non simplicitatem & antiquitatem Apostolicam
 in fide & vitâ retinemus & servamus? cum, *Ambrosio* dicente, re-
 gnum DEI in simplicitate fidei sit, non in contentione sermonis, &
 ut *Spanhemius* in Orat. de Christianismo de genere pronuntiavit, o-
 mnium hæc summa consensus sit, vim Christianæ sapientiæ omnem
 in agendo fuisse positam, & in pronæ fidei acquiescentiumque ani-
 morum simplicitate, sanctitatem fuisse quendam Christianæ disciplinæ
 characterem, ac centrum veluti, ad quod singulare hujus *χρῆσιμα-
 θείας* lineæ duxerunt. Quæ cum ita sint, laudi Tibi singulari cedit,
 Amice honoratissime, quod sacratioribus hisce studiis totum Te con-
 fecrasti, & non nunc demum primum specimen edis publice, sed &
 plura talia *Rostochii* & *Lipsiæ* edidisti, & parata prelo habes, ut *Dissert-
 tationes* de usu & abusu Patrum, ubi *Dallai* de hoc argumento libros
 sub censuram vocas, supplementum in *D. Sagittarii* introductionem
 in *Historiam Ecclesiasticam*, & similia. Quare non possum non &
 Tibi & Reipubl. literariæ de Te gratulari, ac precari à Deo T. O. M. ut
 dignam tuis donis egregiis munus publicum sive in Patria, sive alibi
 consequaris quamprimum & subsidia sufficientia in promptu habeas,
 amplissimum Antiquitatis Ecclesiasticæ campum decurrendi, & fru-
 ctus optimos in orthodoxam Ecclesiam redundantes nobis adferendi.
 Præsidium Tibi petenti præsto honorarium magis, quam necessarium:
 neque enim me defensore egēs; cum ætatem habeas, & pro Te ipso
 loqui possis. Si qui ergo forte futuri sint, qui, quod modeste à viris
 magnis dissentias, ægre ferant, in argumento non fidem sed historiam
 concernente, Tu videbis, quomodo vel in gratiam cum iis redeas, vel
 eorum objectionibus respondeas. Ego lites nec amo, nec sero, sed τὸ
 ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ sector, & si à me quoque in minutiis dissenseris,
 moleste haud feram, sed omni favore amoreque Tibi addictus ma-
 nebo. Vale. De prop. D. XXV. Jun. A. O. R.
 M DCC VIII.